



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||  
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

Proemium in Discursus de Communi Sanctorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)



PROEMIVM  
 IN SEQVENS  
 TES DISCVRSVS,

DE COMMVNI  
 SANCTORVM.

**A**SITITIT *regina à dextris  
 tuis in vestitu deaurato circunda-  
 ta varietate.* *Psal. 44.* Hæc nobilissima  
 regina tantopere honorata, quam  
 cælorum Rex considerare voluit ad  
 suam dexteram, non est aliud quam  
 Ecclesia eius sponsa, quæ dicitur as-  
 sistere CHRISTI dexteræ, quia  
 singulariter semper fuit ab eo ama-  
 ta, & beneficijs multis affecta ac po-  
 tenti eius manu continenter custo-  
 dita. Hæc igitur dicitur varietate cir-  
 cumdata, eo quod multæ & variæ  
 sint eius vestes & ornamenta. Quot  
 enim fuerunt filiorum eius in toto  
 Sanctorum exercitu virtutes, quot  
 dotes & excellentiæ, tot fuere vestes,

totque & tam varia huius Regine  
superni regis sponsæ ornamenta.

Hæc autem omnia vestimenta sunt  
aurea, vel inaurata. Nec aliud hoc  
aurum designat, quam charitatis  
perfectionem, sine qua nullum or-  
namentum pulchrum, nulla virtus  
alicuius pretij esse potest; reliquæ e-  
nim omnes, hac destitutæ, vt bene-

1. Cor. 13.

dicit ad Corinthios Apostolus, ni-  
hil sunt. Talia fuerunt ornamēta, &

Gene. 24.

pretiosæ in aures ac armillæ datæ Re-  
becca, quando à magno Patriarcha

Abrahā, accepta est in spōsam Isaac  
primogeniti filij sui. Sic in Salomo-

2. Reg. 6.

nis templo nō aliud erat videre, nisi  
pulum & mundissimū aurum: neque

enim cōuenit in domo Dei quicquā  
apparere vile & immundum. Vn-

de rectè Ecclesia sancta dicitur vesti-  
ta auro, quia tota sancta est, tota pul-

chra, tota munda, & immaculata.  
De qua dixit Dominus. *Vna est co-*

Cant. 6.

*lumba mea, perfecta mea, immaculata*

*mea, vt exhiberet sibi gloriosam Eccle-*

Ephes. 6.

*siam non habentem maculam aut rugam.*

Videntur quidem veteres illi sapien-  
tes & Philosophi (sicut & hæretici)  
multa virtutum ornamenta similia  
cum Ecclesia CHRISTI sponsa.

ha-

habuisse. Sed magnum erat discrimen; licet enim viderentur aurea, non tamen erant: quia quæcunque sapientia, quæcunque iustitia, humilitas, patientia, castitas, vel alia quæuis virtus, si non refulget auro veræ charitatis, falsa, & nullius pretij est. Itaque meritò depingitur Ecclesia cum veste aurea, quia omnia eius vestimenta hac nobili diuinaque virtute contexta sunt & consuta. Quanquam verò semper suis induta sit ornamentis, non tamen idcirco omnia apparent. nam aliquando demonstrat se ornatam fide, aliquando spe, nunc charitate, nunc alia virtute, sub qua quodammodo omnes reliquæ delitescunt, vt videri nequeant. Tunc ergo hæc magna Regina primò apparuit vestita & ornata quasi flammea purpura, quando post ascensionem sponsi sui in cælum descendens amabilis spiritus in ignitarū linguarum specie super Apostolos, ita inflammavit eorum pectora, vt omni humano timore depulso, palam cæperint diuinitatem CHRISTI prædicare, non in Iudæa modo, sed etiã in omnib. mundi partib<sup>9</sup>, & spargētes

sua prædicatione diuini ignis flamas omnium mortalium fide & amore in CHRISTVM redemptorem nostrum accenderint. Deinde comparuit hæc nobilis Regina vestita fide, quando Sancti Apostoli alijq; fideles cæperunt coruscare miraculis, alijsque inusitatis signis, vti hac re huius cælestis spõsi præstantiâ testificarentur, hominesque ad amplectendam eius legem allicerent. Apparuit quoque ornata spe & fiducia, quando eius filij cæperunt mentem à terrenis attollere ad contemplationem & desiderium rerum cælestium, dicentes cum Apostolo, *Cupio dissolui, & esse cum. C H R I S T O.* & item cum Propheta. *Sitiuit anima mea ad. D E V M fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Postea verò apparuit Ecclesia vestita caritate, quando, vti legitur, *multitudinis credentium erat cor. vnum, & anima vna,* nec quisquam eorum quæ possidebant aliquid suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia. Apparuit item vestita fortitudine, quando fideles ardentis, diuini honoris accensi zelo tanta libertate prædicabant CHRISTI fidem;

ani

*Phil. 1.**Psal. 42.**Acto. 4.*

animoque intrepido, abiectis omnibus  
 minarum, cruciatuum, ipsiusque  
 mortis metu suis contradictoribus  
 & tyrannis responsabant: sicut re-  
 sponderunt Apostoli, *Si iustum est*  
*in conspectu Dei, vos potius audire quam* Acto. 4.  
*DEUM, iudicate. non enim possumus*  
*que vidimus & audivimus non loqui.*

Tunc exeperunt tyrannorum perse-  
 cutiones, toti que mundo innotuit  
 illustri martyrum fortitudo & con-  
 stantia Tunc non modo homines  
 robusti, sed etiam teneræ virguncu-  
 læ, & pueri certatim cum magno  
 gaudio & promptitudine ad marty-  
 rium currebant, parati pro defensione  
 veritatis Christianæ profunderere  
 sanguinem & vitam. Deinde vesti-  
 vit se Ecclesia sancta, veste pruden-  
 tiæ & sapientiæ eo tempore, quo in  
 ea florere tot sancti Doctores & Pa-  
 tres, qui sua doctrina, prædicatione,  
 divinisque scriptis contra fraudes  
 & corruptelas hæreticorum Eccle-  
 siam defenderunt, firmioremque &  
 illustriorem reddiderunt. Apparuit  
 adhæc vestita temperantia, quando  
 tot eius filij cõtempo mundo cum  
 eius vanitatibus, desiderio vitæ per-  
 fectæ cum innumeris Sanctis Mo-  
 nachis

370 DISCURSVS DE  
nachis deserta, & tot religiosis con-  
gregationibus, Virginumque cho-  
ris claustra & cænobia compleverunt.  
Huiusmodi ergo sunt ornamenta,  
& aureæ vestes huius dilectæ Domi-  
ni sponsæ, Ecclesiæ Sanctæ matris  
nostræ. Iam si ob tantam varia-  
tem & venustatem virtutum, quæ in  
terra reperiuntur in hominibus san-  
ctis & iustis, licet non sine imperfe-  
ctione, apparet ita bella & admira-  
bilis Ecclesia militans: quid erit, vi-  
dere in cælo Ecclesiam triumphan-  
tem, illam dilectam sponsam agni,  
quando sine vlla macula aut ruga  
*Apoc. 19.* illi licebit, vt scribit in Apocalypsi  
beatissimus Ioannes, se totam obte-  
gere & adornare candida & fulgen-  
ti bysso, quando intra innumerabi-  
lium Angelorum Sanctorumque  
splendores, in veste aurea consum-  
matæ, perfectissimæque charitatis,  
cum bella omnium virtutum varia-  
tate, suorumque gloriosorum filio-  
rum meritis apparebit oriente auro-  
ra gratiosior, luna pulchrior, & Sole  
ipso elegantior? Hæc est illa ciui-  
tas Sancta, illa Hierusalem noua,  
quam idem Euangelista vidit de-  
scendentem de cælo, manibus DEI  
præ

COMMUNI SS. 321

præparatam, & sponso suo cælesti  
ornatam, in qua ipse DEVS habi-  
tat cum omnibus suis sanctis, & i-  
psi cum ipso in æternum. Restat  
nunc, vt postquam vidimus varietate-  
tem vestium & ornamentorum Ma-  
tris, videamus quoque ornamenta  
& cultum filiorum, qui post ad-  
uentum sponsi sui in terram, deinceps  
floruerunt, & vsque ad fi-  
nem mundi in hac militan-  
te Ecclesia flore-  
bunt.

O 6 I N

